

1516 . 21. H. Sheltzh. 74. T. Anh. 242 Nr. 12  
 1516 Sept. 1. K. Ursinus 151 151 Nr. 18.

Wolfgang Heiligmaier<sup>1)</sup> an Vadian.

*Brünn. 1516. September 2.*

Klagen über feindliche Angriffe und Bericht über eine Niederlage seines Hauptfeindes.

S. P. Habuisses ex me dudum litteras, Vadiane amantissime, si propter occupationes<sup>a)</sup> varias ad te scribere potuissem. Quibus adeo involutus sum, ut anxius, quorsum me divertere debeam, sæpius<sup>b)</sup> mecum cogitaverim. Tot enim hostes habeo, unum tamen præter cæteros infes-

tissimum civem, qui cum munere, quod ad vos misi, rem suam diu habuit, apud quem et maritus eam reperit. Hic civis cum me multociens suspectum habuisset, nichil tamen veri per medias personas expiscari potuisset, puerum, qui eam ad vos conduxerat, pollicitationibus<sup>c)</sup> in domum suam allexit, cumque eundem pilis hinc inde traxisset ac plagis plurimis affecisset, volens ex eo vi extorquere, quorum hæc devenisset, — sed nichil L 12 veri ex puero consecutus est —, venit ad me puer conquerendo. Quid plura? Res per me ad senatum delata est, ubi ferme per dies octo in lite mansimus; tandem deo annuente sententiam obtinui et talem, ut his quadraginta florenos pro pena dominis det; nam et ipse unus ex senatoribus est; inhibatumque sibi est sub pena aureorum decem, ne quidquam de hac re mecum vel verbo vel facto incipiat. Hinc emanant hæ inimicitiae; quodsi optatum finem non sensero, curabo, ut quantocius vobiscum sim. Munera, quæ sæpius promisi, tu et meus Aicher propediem habebitis. Nova, quæ nobiscum sunt, ex litteris archigrammathei<sup>d)</sup>, quas Collimitio mittit, intelliges. Te, si quid novi habes aut de Cæsare aut de communitate vestra et senatu, rescribere non pigeat; nichil enim revera maius hoc tempore in me, nisi scribendo, efficere poteris. Si quid de felicitate audieris, certiozem me redde. Enchiridion Rotherodami oro plurimum ad me mittas per præsentem nuntium. Vale bene. Doctorem Collimitium et Ioannem Aicher nomine meo saluta. Ex Brunna, die II Septembris, anno MDXVI.

Tuus *Volfgangus Heiligmair.*

Ioachimo Vadiano, poetæ et oratori laureato, præceptoris  
suo amantissimo.

a) „occupationes“. — b) Überall „e“ für „æ“. — c) „pollicitationibus“. — d) „archigrammathei“.

l) Vrgl. zu Brief 65.